



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Nevhsii, 1687**

De parvulis Baptizandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36005**



Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet, neq; tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonij usum impediatur.

### De baptizandis Parvulis.

**O**pportunè Parochus hortetur, eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos quamprimum fieri poterit, & quâ decet Christianâ modestiâ, sine pompæ vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantoperè necessarium nimium differatur, cum periculo salutis, & ut ijs qui ex necessitate primum baptizati sunt, consuetæ cæremoniæ ritusq; suppleantur, omisâ formâ, & ablutione.

Nemo in utero matris clausus baptizari debet, sed si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem motum indicet, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, ut supra dictum est: **Si non es baptizatus, ego** &c. Si verò ità baptizatus deinde prodierit mortuus, debet in loco sacro sepeliri.

Mater, si prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum cautè extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur, si fuerit mortuus & non potuerit baptizari, in loco sacro sepeliri non debet.

Expositi infantes, & inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constet, sub conditione baptizentur.

In Monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna Cautio adhibenda est: de quo, si opus fuerit, ordinarius loci, vel alij periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Monstrum, quod humanam speciem non præ se fert, baptizari non debet, de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si homo es, ego te baptizo, &c. Illud verò de quo dubium est, unane, an plures sint personæ, non baptizetur donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita: unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda & animæ, hominesq; distincti, & eo casu singuli seorsim sunt baptizandi, unicuiq; dicendo, Ego te Baptizo in nomine &c. Si verò periculum mortis immineat, tempusq; non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare dicens.

Ego vos Baptizo in nomine Patris &c. Quam tamen formam in ijs solum & in alijs similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, aliàs nunquam, licet adhibere.

Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, vel quia duo capita & duo pectora non habet benè distincta; tunc debet primum unus absolutè baptizari, & postea alter sub conditione. Si non es Baptizatus, ego te &c.

### De Patrinis.

**P**arochus antequam ad Baptizandum accedat, ab ijs, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem vel quos susceptores elegerint, qui infantem de Sacro fonte suscipiant, nec plures, quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat.

Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una adhibeantur, ex decr. Con. Trid. Sed simul non admittantur duo viri, vel duæ mulieris, neq; baptizandi Pater aut Mater.

Hos autem Patrinos saltem in ætate pubertatis ac Sacramento confirmationis consignatos esse, maximè convenit.

Sciant præterea Parochi ad hoc munus admittendos non esse infideles aut Hæreticos, non publice excommunicatos aut interdictos, non publice criminosos aut infames, nec Parentes carnales suarum prolium. Nec præterea, qui sana mente non sunt, nec qui ignorant Rudimenta fidei, hæc enim Patrini spirituales Filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur.

### De tempore & loco Baptismi.

**Q**uamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti & cessationis à divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferti possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sunt sacri Dies, in quibus solemni Cæremonia hoc Sacramentum administrari maximè convenit: nempe Sabbatum Sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis Fontis aqua